



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. De occasione in causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPUT VI.

Circa Quintum Decalogi Præceptum.

§. I. De quibusdam speciebus Homicidij.

De unica actione seu ictu, quo quis simul plures occidit, diximus supra cap. 1. §. 9. ubi etiam actum esse unice voluntate, qua quis vult occidere simul plures. Eginus etiam cap. precedente de differentia Patricidij, & filicidij à simplici homicidio, &c.

Solum hic antequam ad ultiores progrediamur, advertere, si quis aliquem occidit, & postea discerpit cadaveris membra, extrahatve iecur, cor vel similia: committere malitiam specie diversam à malitia committens homicidij. Ita Delugo disp. 16. de penit. sect. 12. §. 57. neque enim solum tunc separat animam à corpore, sed membrum à membro: quæ in hominum æstimatione videtur specialis turpitudine, proprio appellata nomine, Feritas: Multo magis si id in vivo attentetur.

Item de Homicidio, illud nunc superest explicandum: An locus sacer, ubi forte sit homicidium, debeat explicari, tanquam inducens distictam specie malitiam?

3. Dico esse explicandum tum in homicidio, tum in percussione gravi cum effusione sanguinis. Ita Fagundus præcept. Eccl. 2. cap. 4. num. 24. alique passim. Ratio est quia tunc violatur Ecclesia, unde contrahitur malitia specialis.

4. Dubitatur de percussione gravi, sine effusione sanguinis: Vt si quis acriter verberaret suum inimicum in Ecclesia, nec vulnus faceret, contraheretne prædicti facinorosi malitiam in confessione explicandam? Et non contrahere probabiliter existimo cum Delugo de penit. disp. 16. sect. 10. n. 408. contra prædictum Fagundum. Quia Ecclesia prohibito solum meminit de homicidio, & de percussione cum effusione sanguinis: ergo ad percussione, sine sanguinis effusione, extendenda non est.

Quid autem hic intelligitur nomine loci sacri dicitur cap. 7. §. 5. num. 40.

§. II. De occasione in causis.

1. Vulneravit quis v. g. vel venenum, consiliumve dedit tendens ad mortem alicuius; satis ne est in Confessione causam mortis dumtaxat proponere, hoc est vulnus, venenum, consilium; an insuper erit necesse addere ipsum effectum sequutum, id est mortem ex illis causis derivatam?

2. Profecto certatur utrinque probabiliter: sed verò probabilissimum est non esse in rigore obligationem effectum secutum consistendi. Ita Vasquez, Granadus, alique quos citat & sequitur Bonacina de peccatis disp. 2. §. 4. p. 4. num. 7. & 10. Sanchez in selectis disp. 20. n. 1. Ratio est quia ille effectus, qui consequitur, non est peccatum unde evenire subinde potest, ut quando potest mors ex veneno v. g. propinato, inveniat iustus per corruptionem ille, qui venenum dedit. Cum igitur tenemur confiteri sola peccata (quæ tantum sunt illa quæ S. Augustinus comprehendit sub iis verbis, *Falsum, Dolum, Concupitum contra legem æternam*) non autem tenemur fateri effectus ab iis consecutos; effectum illam mortis fateri minime tenebimur. Satis erit igitur dicere: *Vulneravi lethaliter propinavi lethale venenum, Consilium dedi efficax de morte, &c.*

3. Idem dic (ut semel hic obiter id non prætermittam) in sexto præcepto de comedente v. g. calida ut

æquatur pollutio nocturna, & in similibus casibus, in quibus apponitur causa, ut aliquis effectus tandem eveniat, &c. Ita idem.

8. Dixi (in rigore) nam rectè advertunt nonnulli cum Vasquez part. 2. tom. 2. disp. 94. cap. 3. regulariter expedire explicare ejusmodi effectus consequutos, cum ita melius malitia actus præcedentis explicetur, meliusque intelligatur peccatoris status, & insuper an aliquam contraxerit obligationem restituendi, vel in censuram casumve aliquem reservatum incidit.

§. III. De Malis alicui volitis.

1. Etiam est quando vis, seu desideras inferre malum proximo, debere te palam Sacerdoti facere, ecquodnam genus (non verò individuationem) mali inferre concupiveris, an scilicet mortem, an infamiam, an rei familiaris detrimentum. Ratio est, quia sicut ipsa obiecta volita sunt specie diversa diversumque ius in proximo pariunt, ita ipsi actus voluntatis desiderantis illa inferre, cum diversa iura violent, diversam, specie ultima malitiam contrahant necesse est.

10. Dixi (non verò individuationem) quia non est necesse dicere v. g. *Volui furari pecuniam, equum, vestem, &c.* Ratio est; quia hæc individualitas non affert novum ordinem ad rectam rationem, &c.

11. Difficultas igitur solū remanet quando odium sistit in mero desiderio, sine voluntate inferendi tale malum, v. g. quando ex odio desiderat quis ut suus proximus occidatur, vel paupertate afflictor, vel infamia, an sufficiat sic proponere: *Desideravi proximo malum grave*, Respondeo sufficere. Ratio est, quia illa omnia, quando sistunt in ea voluntate, inefficaci, sunt contra charitatem, veluti in genere, qua non debemus velle malum proximo; non verò læditur, nec lædi desideratur ius particulare.

12. Idem propter eandem rationem sentiendum de gaudio: si quis enim v. g. gauderet de morte, de inopia, de dedecore sui adversarii, satis esset si diceret, esse se toties de gravi proximi malo delectatum.

Petes, si quis delectetur de malo proximi, v. g. de ejus gravi infamia, & deinde eidem displiceat bonum grave ejusdem, v. g. honor, fama bona, &c. duone peccata specie diversa committit, utraque specialiter palam facienda Confessario: an satis erit dicere, *his per malam voluntatem circa bona vel mala ejusdem proximi. Charitatem læsi.*

Respondeo, credo satis esse, quia illa duo non afferunt speciem moraliter diversam cum æquè peccetur contra eandem Charitatis virtutem, & quia vnum ex his imbibitur in alio: dum enim gaudeo de malo, nolo illi bonum, seu displicet mihi illius bonum; & dum displicet mihi de illius bono, utique placet contrarium, &c.

CAPUT VII.

Circa Sextum, & Nonum Decalogi præceptum.

§. I. Delectatione turpi solum interna, seu, ut dicitur, morosa.

1. In hoc differt desiderium & consensus in copulam v. g. illicitam (idem dicendum in aliis materiis) à delectatione ipsa quam quis habet de eadem copula, desiderium est actus ex se efficax, & consummatur, seu consummari intenditur in ipso opere externo fornicationis: delectatio verò est actus ex se inefficax & consummatur interior: non enim transit ad volendum exequi id, de quo quis delectatur: nam propterea dicitur etiam delectatio morosa: quia peccans, dum moratur in ipsa delectatione, nec ad opus consummandum procedere intendit, in eadem veluti conquiescit. Cum autem